



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Arrogantia quandoque venialis, quandoque mortalis est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

permittunt, secundum indulgentiam, votum nullum est. Et si ex natura operis actus esset contra charitatem, nunquam posset quis licite à clericatu & beneficio recedere, sicut nunquam licet mentiri. Imò plus sequitur quòd non posset hoc absque offensa Dei mortali fieri, vt de se patet.

*Arrogantia quandoque venialis,  
quandoque mortalis est.*

**A**rrogantia, qua sibi quis quod supra se est, tribuit (siue illud pertineat ad scientiam, siue ad potentiam, siue ad bonam voluntatem, siue ad auctoritatem) peccatum est, quia contra rectam rationem est. Sed mortale non est, nisi vel id quod sibi usurpat, sit contra diuinam reuerentiam: vt, rex Tyri, Deus ego sum. Aut contra proximum, vt tyrannis, vel finis vltimus in huiusmodi illatione ponatur: quod ex eo apparet, quòd paratus est ob illam non curare de diuinis aut Ecclesiæ præceptis. Vel in despectione consistat aliorum: sicut Pharisæus. Non sum sicut cæteri hominum: velut etiam hic Publicanus. Licet hoc ad secundum modum possit reduci: quia ex affectu arrogantis, quamuis non ex parte rei, usurpatur superioritas despectiua proximi. Est ergo arrogantia mortalis, vel ex parte arrogatæ rei contra Deum, aut proximum vel ex parte finis in huiusmodi elatione constituti, vel ex parte affectus intorquentis arrogantiam contra alios. Est autem frequenter venialis arrogantia, dum absque præiudicio proximi æstimat quis se plus scientiæ, aut bonitatis, aut auctoritatis habere, quàm habeat &c. Nec inter lenia peccata computandum est, quum quis se æstimat meliorem quàm sit quoniã & species est superbiæ (de qua scriptum est, Et mundabor à delicto maximo) & obicem ponit studio ad gradiendum iuxta mēsuram suam in via Dei:  
sicut



sicut quum quis astringat se doctū, non curat discere.

*Assassinus nomen quid significet.*

**A**ssassinus nomen est æquiuocum, est enim nomen proprium quorundam infidelium, qui facile inducebantur ad occidendos Christianos. Et contra non ipsos, utpote infideles, sed contra mandantes per ipsos aliquem Christianum occidi, Innocent. iiii. in Concil. Lugd. excommunicationem promulgauit: ut habes in vi. de homicidio. Pro humani. Est etiā nomen vitii, pro quāto apud quosdam iuristas, seu vulgariter dicuntur assassini, qui pro pecunia occidūt hominem, ad alicuius instantiam. Et hi nō comprehenduntur sub censura dicta, quamuis digni sint morte & temporali & æterna: quia conditor canonis de primis tantum loquitur, ut facile deduci potest, & ex eo quod sine additione aliqua illos nominat (utpote tūc temporis notos) & meminit eorum domini, & ex eo quod meminit opprobrii Christianæ dignitatis, & nullius pretii seu mercedis.

*Observatio astrorū an et quādo sit vitiosa.*

**A**strorum observatio ad natiuitates hominum & occurrentia humana, tripliciter peccato subiici potest. Primò, si ea quæ fidei Christianæ mysteria sunt, tanquam subsint cœlestibus causis habeantur. Secundo, si futura contingentia quærantur, seu habeantur ut certa ex cœlestibus causis. Tertiò, si electiones suas quis subiciat cœlestibus causis, ut legi illarum, ita quod vitam suam, actionesq; suas regulet secundū cœlos. Et quodlibet horū triū est ex suo genere peccatū mortale: quia primum est cōtra spiritualitē Christianæ religioni, quæ super cœlos est, immutare potens etiā ipsos cœlorū cursus, iuxta id quod scriptum est, Confessio eius super cœlum & terra, & experientia testata est. Secundum verò est contra

veritatem